

Quatuor coloribus principalibus, Album, nigrum, citrinum, rubeum. Quatuor saporibus, Insipidus, acidus, dulcis & amarus. Quatuor odoribus, bonus, foetidus, acutus, & remissus. Duobus sexibus, masculinus & foemininus, secundum eorum tres dimensiones, scilicet altitudinis, longitudinis & profunditatis.

Quatuor  
colores.  
Sapores  
quatuor.  
Odores  
quatuor.  
Duo sexus.  
Tres di-  
mensiones.

Altitudo communis, est eius manifestum, Profundum, est eius occultum, & latitudo horum medium participat. Ergo omnia corpora secundum has tres dimensiones praedictas omnibus modis habent considerari. Idcirco corpus si in sua altitudine est terreum, in eo est quid frigidum, siccum & melancholicum, amarum, acidum, foetidum, nigrum, & foemineum. Et per consequens in suo profundo est aereum, calidum, humidum, sanguineum, citrinum, dulce, odoriferum masculinum. Et si in vno latere est aquaticum, sequitur quod sit frigidum & humidum, album, insipidum, redolens, foetidum foemininum. Et per consequens in alio latere erit igneum, calidum, siccum, rubeum, amarum, acutum, & masculinum. Et haec sunt ligamina quibus corpora omnia ad inuicem coniunguntur, quod in corporibus liquefactis clarissime deprehenditur, scilicet auro, argento, plumbo, stanno, ferro, & sardarico. Quoniam de proprietate cuiuslibet elementi est, habere in se contrarietatem, et agere in suum contrarium.